Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1709
Quelle:
Copyright:

et fructum afferatis uobis per illa opera acquirendo, et fructus uester maneat uos nunquam eternaliter deserendo. Amen. Nomina PP. quibus per decursum utitur Noster, in margine notantur. Verum, an is *Ordinis Minorum?* Tacet de eo *Waddingus.* At *Echardus* in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 475. excitat *F. Sibitonis Viennensis Opus egregium in Orationem Dominicam*, optatque, ut Sodales sui *Viennenses* de hoc Viro quid certius aliquando prodant. Bibliotheca nostra Palatina condit *F. Sibotonis Ord. Praed. Sermones de Sanctis per totum annum mss.* suo loco referendos. Itaque his potius adstipulor, Librariumque lapsum autumo; miror tamen, Viri memoriam sic penitus intercidisse, ut ne quidem, an Sec. XIII. an XIV. vixerit, liqueat, praesertim, cum monumenta plura reliquerit; neque enim falsus est *Mansius*, ut *Index* docet, qui visum a se olim in hujate Bibliotheca *Windbagiana Tractatum super Miserere insignis Doctoris Sbitonis* ei quoque adtribuit. Vide ejus *Bibl. med. Lat. Fabricii* L. XVIII. p. 167. Codicem nostrum ab *Joh. Fabro* Ep. *Vien.* a. 1540. suo ad D. *Nicolaum* Collegio addictum fuisse προγραμμα decet.

DCCXIII.

R.2188 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 156. 4. non una manu, bene perscriptus, et rubricis distinctus sequentia complectitur: I. *Francisci Petrarce laureati. Vite solitarie liber primus Incipit ad Philippum olym Episcopum Caualicen. qui postea Patriarcha Jerosolimitanus demum Cardinalis.* Lepidum huic cognomen adjecere *Pathae Panvinius* et *Ciaconius*, et ipsa *Opp. omn. Petrarchae* Editio *Basil.* 1581. p. 226. f. quod sane nil aliud est, quam contractus *Patriarchae* titulus ita in Mss. repertus; genuinum enim Viri cognomen fuit *de Cabassole*, ut Epitaphium a. 1372. defuncti apud Ecclesiam Carthusianorum *Avenione* testatur. Exemplar porro praesens cum Editione memorata compositum integrum est, nisi quod Epistolam ad *Philippum* non praefert. Praefatio incipit: *Paucos homines noui* &c. Libri II. principium oblitus est notare Scriptor; Capita etiam absque *Sectionum* mentione aliter interstincta sunt. Lectio proba est et saltem ad emendanda Editionis illius σφαλματα servire posset, si de recudendis immortalis Viri, cui injuriam faciunt, qui solum Poetam crepant, Scriptis ethicis cogitationem quis susciperet.

II. *fol.* 104. succedunt *Sermones beati Augustini ad Heremitas fratres suos de vita heremitica seu solitaria.* Solummodo XXIV. cum *Mauriani* T. VI. Opp. *Augustini Append. col.* 303. LXXVI. retulerint. Primus nobis infit: *Fratres mei et leticia cordis mei corona mea et gaudium meum* &c. Ad calcem: *Expliciunt sermones beati Augustini episcopi ad fratres suos Heremitas, quos quidam magister parisius dicitur invenisse.* An con-